10491/P
36,920

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

36920

DISPUTATIO PHYSICA
DE
GENERATIONE,
ET
CORRUPTIONE.

Quam

DEO OPTIMO MAXIMO ANNUENTE

PRÆSIDE

M. ABDIA TREW MATHEMATUM ET PHYSICES PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS PHILOSOPHICÆ SENIORE ET INSPECTORE NORICO,

pro viribus defendere conabitur

PAULUS MARTINUS ALBERTI. NORIMBERGENSIS.

Habebitur DEO volente d. XX. Novembris

ANNO SALUTIS

M. D. C. LVIII.

ALTDORPHI

Typis GEORGI HAGEN, Univerſitatis Typographi.

VIRIS

MAGNIFICIS, MAXIME STRENUIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS.

DN. GEORGIO Im Hoff

Illuſtris Reipubl. Noribergenſis Duumviro Eminentiſſimo.

DN. LEONHARDTO Grundtherrn.

VIIviro, Proto-Scholarchæ, Eccleſiarum, Scholarum, inclutæq; hujus Univerſitatis Altdorffinæ Curatori primario.

DN. JODOCO CHRISTOPHORO Kreſſ/

â Kreſſenſtein VIIviro graviſſimo & Scholarchæ.

DN. JACOBO Starck à Reckenhofen

DN. GEORGIO SIGISMUNDO Führer

ab Heimendorff In Wolkersdorff.

Senatoribus & Scholarchis vigilantiſſimis

PATRIÆ PATRIBUS PIISSIMIS,

DOMINIS MOECENATIBUS AC EVERGETIS MUNIFICENTISSIMIS, FAUTORIBUS ET PROMOTORIBUS SUIS SUMMA ANIMI HUMILITATE COLENDIS, SUSPICIENDIS

Diſputationem hanc Philoſophicam, ad declarandum pro innumeris beneficiis grati animi ſtudium, dedicat, ſeq; ſuaq; ſtudia ſubmiſſè conſecrat,

PAULUS MARTINUS ALBERTI,

Nor. ℞.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

31 C 6609

DISPUTATIO PHYSICA
DE
GENERATIONE
ET
CORRUPTIONE.

THESIS I.

DE Generatione quæ Græcè γένεσις & Corruptione quæ Græcè φθορὰ dicitur, acturi, ſignificationem vocis ante omnia conſiderabimus.

II.

Sane Latina vox, Generatio, & Græca Corruptioni reſpondens, apud Philoſophos vix aliâ quàm propriâ, ſignificatione invenitur, quâ ſc. generatum dicitur id quod novam Subſtantiam acquiſivit. Et corrumpi φθείρεσθαι, quod interit, ut quoad Subſtantiam non ſit amplius quod fuit. Græca autem vox γίνεσθαι & Germanica werden πολύσημος videtur, adeò ut hæc ambiguitas diverſas ſententias, de re etjam eâ quæ propriè generari dicitur pepererit.

III.

Hinc Ariſtoteles de Generatione & Corruptione docuit, quod aliquid fiat γίνηται variis modis dici; 1. per excretionem contenti ex continente, 2. per transfigurationem,

ut quando ex figurâ cereâ, aut ſimilis materiæ, fiat alia, diverſa ſpecie, ut ex globo pyramis. 3. per compoſitionem quantitatum ſimpliciorum, ita nonnulli lineam ex punctis, ſuperficies ex lineis, corpora ex ſuperficiebus exſtructa putarunt. Ubi mirè inepti fuerunt Pythagoræi, quos Plato ſecutus eſt Dialogo quem Timæum vocavit, ut elementa ex figuris Mathematicis, tanquam earum Ideis derivarent; (ſtatuerunt ſc. ex triangularibus Pyramidem, quæ igni, Octoëdrum quod Aëri, Icoſaëdrum quod aquæ ex ſex quadratis Cubũ qui terræ, ex duodecim quinquágulis dodecaëdron quod cœlo reſponderet, per modum Ideæ oriri. 4. Iterum per compoſitionem ex quantitatibus vel potius quantis ipſis, minoribus quidem, non tamen imperfectis, ſed in ſuo genere perfectis, videlicet corporibus ita exiguis, ut eſſe minora per naturam non poſſint: hinc ἄτομα dixerunt illa corpora, putaruntq́; nudo illo congreſſu quo ſimile ad ſimile accedat, diſſimile inde diſcedat, corpora mixta. (ſimplicia enim generari ſeu de novo fieri negant,) produci. 5. Quintus fiendi, generaliter ſumto vocabulo modus tribuitur iis quæ majora vel minora fieri perhibentur. 6. Sextus iis quæ alterantur, ut cum ex calido frigidum vel contra fit. 7. Septimus tandem modus, & quidem generationi de qua hic ſermo eſt, ab Ariſtotele propriè deberi exiſtimatus, quo, ut ipſe loquitur, totum mutetur in hoc totum, id eſt naſcatur corpus ſpecie & formâ ſubſtantiali diverſum à priori ex quo factum eſt.

IV.

Hi ſeptem modi fiendi reperiuntur apud Ariſtotelem, quibus addi poteſt octavus, videlicet creationis. Nam & creata ſive ex aliqua materiâ (per Naturam tamen non diſpoſitâ) ſive prorſus ex nihilo γίνεσθαι, (quæ vox interdum idem eſt quod fieri,) generaliſſimè ſumpto vocabulo di-

cun-

cuntur. Qui modus huc non pertineret niſi eſſent qui creationem (animæ) ordinariis naturæ operibus immiſcerent. Addunt recentiores nonum, quem in Traductione conſiſtere putant, in plantis quibusdam earumq; ſurculis, manifeſtum, quo formis ita ut loquuntur multiplicatis, novæ ſubinde plantæ ejusdem ſpeciei ſubnaſcantur.

V.

Incidimus ergò in conflictum, cum adverſariis, non tantum veteribus, quos Ariſtoteles ſatis nervosè refutavit, præſertim eos qui tertium modum amplexi ſunt, ſed etiam cum recentioribus, à quorum φλυαρίαις ſententia noſtra munienda eſt.

VI.

Cavenda autem ante omnia confuſio diverſarum quæſtionum. Aliud enim eſt quærere an talis fiendi modus (generaliter ſcilicet voce ſumptâ) detur, & aliud, an generatio ſubſtantiæ novæ & antea non exiſtentis aut ſi aliquo reſpectu extitit, eadem definitione non præditæ, tali modo facta dicenda ſit.

VII.

Neque enim negamus, omnes hos modos vel in natura vel ſaltem artificiali naturaliter agentis applicatione dari, excepto tertio, qui in nuda ſpeculatione conſiſtit putantium quemadmodum ex lamellis v. g. figuræ triangularis æquilateræ, quatuor, Pyramis, octo octaëdron &c. artificialiter conſtitui poſſit, ita etiam in Naturâ ex totidem ſuperficiebus fieri; præſertim cum mineræ terræ corpora quorundam mineralium ita exactè atq; regulariter talem formam exprimentia exhibeant, ac ſi ab Artifice talia facta eſſent) Ita etiam in Naturâ ex nudis ſuperficiebus. Quaſi lamellæ illæ artificiales nudæ ſuperficies eſſent & non niſi tali modo figuræ illæ regulares in mineralibus exprimi poſſent. Sed

quia talem fiendi modum genuinum non eſſe ſatis probavit Ariſtoteles, nec hodie, quantum nos quidem ſcimus, ſunt qui agnoſcant, nos etiam pluribus agere de eo noluimus.

V I I I.

Formatio autem illa mineralium ſine dubio referenda eſt ad modum ſecundum, ex iis qui theſi quartâ commemorati ſunt. (primum nudè in motu locali conſiſtere per ſe planum eſt) quæ ut analogiam habet ad formationes plantarum & fructuum, ubi folia, flores, fructus, membra deniq; diverſam in hâc diverſam in illa illarum ſpecie figuram ſortiuntur, ita principium illorum cum horum principio analogiam quandam habet, nimirum naturam omnium motuum principium, cujus facultas in plātis vis πλαστικὴ dici ſolet, in hiſce vero corporibus generali facultatis cujusdam appellatione contenta eſt.

I X.

Plurimùm negotii faceſſere nobis videtur modus loco quarto Theſeos 3. & 2. Theſeos 4. commemoratus. Quintum enim & Sextum etſi cum generatione propriè dicta plerunq; conjuncti ſunt, ipſius tamen generationis rationem in iis conſiſtere nemo dixerit. Cùm videamus, eandem naturam retinentia non tantum majora vel minora fieri, ſed & diverſis qualitatibus affici poſſe.

X.

Sed ut redeamus ad duos illos modos, quos alii ponunt, putantes 1. Corpora prodire mediante mixtione ejusmodi, qua (ſine conflictu vel omni omninò vel certè tali quo conſligentia ſe invicem mutent, & tandem in concordiam venientia corpus perfectè mixtum & generatum conſtituant homogenea ſibi invicem ſocientur, hetero genea unũ ab a) lio diſcedant. Item quod formæ ſeſe, ut loquuntur multipli-

plicent & propagent; concedimus utrumq; interdum, & in certis caſibus fieri) ut rectè primum illum modum exemplis Chymicorum probat.) D. Sennertus *Hypomn. Phyſ. 4. c. 5. p. m. 35.* Generationem verò novæ ſubſtantiæ in iis conſiſtere tum demum credemus, ſi ſeptimum illum modum, quem Ariſtoteles docuit, quod ſc. totum fiat ex hoc toto, h. e. ex tota aliqua ſubſtantia certæ cujusdam ſpeciei alia novæ ſpeciei itidem certæ locum habere non poſſit probatum fuerit.

X I

Sed forte nobis probandi onus impoſituri, exempla talis modi fiendi requirent, quæ ſanè ipſis non modio ſed ipſo horreo admetiemur. Inſpicere jubentes omnia ea, quæ quotidie mutari & ex mutatione nova reſultare ſolent. Vid. *Phyſ. noſtram Ariſt. part. ſpecial. l. 2. c. 1. poſt l. 6.* Quis enim alimenta ejusdem (nominatim quoad formam) naturæ dixerit cum chylo & ſanguine, quis hujus cum ſemine, quis ſeminis cum embryone, quis ovi cum pullo? Omninò inquiunt. Atomi ejusdem naturæ latent, pulli in ovo, ovi in ſanguine in alimento &c. licet nec tibi nec mihi conſpicui. Sed unde ſciunt latere, ſi inconſpicui, imò nulli ſenſuum obvii ſunt? aut qua ratione probant quæ nova per generationem facta videmus, diverſa quam nunc ſunt, nec fuiſſe nec eſſe potuiſſe? Quæ autem nec ſenſu nec ratione probantur, meritò improbantur &c.

X I I.

Qnid verò noſtræ ſententiæ hac in parte conſentaneum ex ovis gallinæ ſubjectis & ſuccedentibus diebus, uno poſt aliud apertis deprehenderit tùm Ariſtoteles, tùm alii, videre licet apud illum *Hiſt. animal. l. 6. c. 2. & 3.* & inter hodiernos apud Gulielmum Harveum *de Generatione animalium* (ubi etiam Aldrovandum & alios in eodem negotio oc-

cupatos citat) cujus adeò verba, quæ habet *exercit. LVI. de proceſſu ſecundo generationis pulli in ovo poſt quartum diem incipiente* digna quæ adferantur viſa ſunt; *in proceſſu hoc ſecundo*, inquit, *plurimæ formatricis facultatis actiones ordine invicem ſubſequentes, obſervantur; (quemadmodum in Automatis ſive ultroneis machinis cernimus, ubi rota rotam movet ſequentem) omnesq; partes ex eadem mucoſa & ſimilari materia oriuntur. Non quidem, ut quidam Phyſici exponunt, cum dicunt: ſimile ferri ad ſimile: verùm dicendum, partes moveri, non mutantes locum, ſed manentes, & alteraſcentes mollitie, duritie, colore & reliquis partium ſimiliarium differentiis; Factæ jam actu, quæ ante erant potentiâ, nempe artus, ſpina, reliquumq; corpus augentur ſimul & formantur, delineantur unâ & colorantur, membrorum item oſſa, carnes, nervi, & cartilagines, quæ ſingula in ortu primo ſimilares erant, & uniusmodi, in progreſſu poſtea diſtinguuntur, junctæq; inter ſe organa conſtituunt, ex quibus continuatione mutua corpus integrum fabricatur*, & mox: *natura nempe ex eodem illo nutrimento (non autem ut multi volunt ex diverſo, & cuiq; particulæ ſuo ſimili) partes omnes alit augetq;, ex quo conſtituit ab initio.*

XIII.

Alter modus quem recentiores ſtatuunt, Traductio eſt, qua ut ex ſurculo & propagine hujus plantæ alia numero & quandoq; loco diverſo ejusdem ſpeciei plantatur; ita ipſi mediante ſemine animam (humanam æquè ac beluinam ac vegetativam) dividi ac multiplicari putant. Vid. D. Sennertum *de Chymic. conſenſu p. m. 94.*

XIV.

Verùm enim verò ut talem traductionis modum, ubi traducti natura pars fuit (& poſt traductionem manet) prorſus homogenea ei unde eſt traductum, locum aliquem habere in natura concedimus. Ita in omni generatione, etiam

etiam perfectiſſima cujusmodi eſt animalium perfectorum locum habere negamus. Etſi enim eatenus convenit hæc cum illa, quod ſemen prolificum ortum ducat è ſubſtantia patris & matris; imò ſuo modo pars fuerit ſubſtantiæ eorum, (niſi fortè ſanguinem de ſubſtantia animalium eſſe neges) formam tamen generati & hâc ratione quaſi traducti partem eſſe integrantem, negamus. ſed potius ex potentia in creatione ac benedictione prima cuiq; rei generativæ & ſemini ejus inditâ, reſultaſſe dicimus.

X V.

Ubi obiter quaſi addere libet benedictionis divinæ, qua dixit Creator *Geneſ. 2. creſcite* (de verbo ad verbum *fructificate*) & *multiplicamini*, ſenſum duobus in caſibus in controverſiam venire. primò contra eos, qui ex illo, quod dicit creator multiplicamini, traductionem qua formæ ſe multiplicent & ex una multæ fiant, ſtabiliri putant. His rectè reſponderi putamus diſtinctione inter *rem* & *rei modum*: Multiplicationem ſc. individuorum ejusdem ſpeciei mediante generatione fieri, concedendum. per modum autem diviſionis ejusdem in plura individua fieri, nequaquam inde concludendum eſſe. 2. quando autem eadem exceptio reponitur iis, qui ex voce פְּרוּ *fructificate*, colligunt in homine æquè ac omnibus animalibus totum fœtum tùm quoad materiam tùm quoad formam ſeu animam ex ſubſtantia fructificantium hoc eſt parentũ, originem trahere; Ibi vel perverti vel non ſatis intelligi vim argumenti illorum exiſtimamus. Neq; enim de *modo* generationis loquuntur, multò minus cum re eundem confundunt. Sed *rem ipſam* urgent, *QUID NAM* ſcilicet ſit illud, quod ex ſubſtantia generantis in generatione proveniat? Nimirum *FRUCTUS* (unde & alibi in Scripturis liberi *fructus* ventris dicuntur) qui ſanè non quoad materiam tantùm ſed vel

maxi-

maximè quoad formam (materia enim ingenerabilis eſt) originem ſuam generandi debet.

XVI.

Unde, ut in pauca quæſtionẽ hãc de ratione generationis quatenus omnibꝰ generatis atq; generabilibus ſuo cuiq; modo cõvenit, cõferamus. Perinde ferè putamus ſive quis dicat formas *educi è potẽtia materiæ* ſive *materiæ induci* ſive cũ Ariſtot. *totũ ex toto* ſive ex tota ſubſtantiâ ſubſtantiã numero & formâ diverſam materiâ verò eadem præditam *fieri*. Si ſcilicet in prima formula per materiam, in tertia per totum illud ex quo aliũd totum fiat, intelligas materiam ſecundam, cujusmodi eſt ſemen, ovum &c. h. e. terminum â quo; in ſecundo materiæ mentione primam aut certe remotam intelligas.

XVII.

Quando autem quidam formas *traduci* potius, quam *educi* exiſtimant, id de forma in ſe conſiderata nonniſi Synecdochicè adeoq; figuratè, ubi propriè loqui, ſi ſtudium novandi illis permitteret, poſſent, concedimus & quidem ex accidenti, propriè enim & per ſe materiam tantùm in plantis illis traduci. Quod verò particula illa materiæ reſecta viva & ejusdem ſpeciei formâ, cum tota planta prædita ſit ex accidenti eſt, nimirum ex imperfectione & â diviſibilitate materiæ dependentium formarum, tantò minus conſpicua in animalibus nobilioribus, v. g. in homine, aut etiam brutis perfectioribus, quantò poſt diviſionem palpitatio talis qualis in inſectis conſpicitur minus evidens eſt. Inde ſimiliter concluditur, formã ſeu animã filii non ineſſe actu patri, nec ab animâ patris per traductionem deſumtam, ſed è potentia ſeminis (animati ſanè, non tamen aliâ quam patris animâ, nec diutius quam dum eſt in lumbis patris, unde in actu ejaculationis parentis animâ retroce-

den-

dente utero verò matris fœturam ejus ſuſcipiente, eodem momento anima embryonis in ipſo incenditur) tanquam materiæ aut termini â quo reſultantem, totam cum eadem materiâ ſubſtantiam conſtituere.

X V I I I.

Sed ſatis de formali ratione generationis. Pergimus ad cauſas reliquas inter quas proximè occurrit nobis materia, quæ duplex eſt, transmutationis i. e. id ex quo fit generatîo & vocatur terminus â quo ſeu ſemen, & conſtitutionis, seu ſubjectum. Nam ut inquit Ariſtoteles *1. Phyſ. T. 60.* in omnibus fiendi modis (adeoq; in generatione) id ipſum quod vel fieri vel tale fieri dicitur ſubjectum vocatur Ex hac cum forma conſtituitur corpus naturale, idq; duplex, ſimplex quod elementum vocatur, & compoſitum ſive mixtum.

X I X.

Materiam transmutatiònis & generationem inde denominatam duplicem communiter ſtatuunt, *univocam & æquivocam.* Illam putāt ſemina animalium & plantarum ab ipſis animalibus & plantis procreata, hanc elementa, terram potiſſimùm & aquam. Sed ſciendum, elementa pura & ſola nequaquam materiam ſufficientem ad ullum animal aut plantulam, etiam viliſſimam ſuppeditare, ſed certis qualitatibus â creatore inditis ita diſpoſitam & per calorem agentis ita percoctam, ut acquirat naturam ſeminis, nec niſi loco differat à ſemine illorum ipſorum animalium v. g. ranarum, murium, vermium &c. ut ita inde progenita omninò ejusdem ſpeciei ſint cum iis, quæ talia animalia progenerant, quia cauſa abſolutè proxima, nempe materia proxima talium, eadem eſt. quicquid ſit de cauſis vel remotis vel in ſuo genere tantùm proximis, de quibus mox. Quod verò nonnulli recentiorum potentiam illam materiæ cum

formâ ipsâ (quæ actu ſaltem Entitativo jam extet) confundunt, in exceſſu peccant. Quemadmodum qui puris elementis talia adſcribunt, defectu, ut diximus, laborant.

X X.

Mutationis elementorum in ſe invicem, adeoq; generationis exempla manifeſta ſunt, in pluviis, ubi aër in aquam & in incendiis ubi idem aer in ignem (vel quod idem eſt corpus majori parte aëreum in id quod majori parte aqueum vel igneum ſit) mutari deprehenditur. Nec movent nos φλυαρίαι recentiorum, nudam reſolutionem ſeu ut contemporanei Ariſtotelis locuti ſunt, excretionem nec veram mutationem in exemplis hiſce intercedere: quippe quibus obvium itum eſt dudum quidem ab Ariſtotele & â nobis ex ipſo in Phyſica modo citata *l. 2. c. 2. theo. 12. & l. 3. c. 2. theor. 6.*

X X I.

De generatione mixti dici ſolet cōmuniter; eandē eā eſſe cū ipſa mixtione. niſi quòd in mixtiōe præcipuè unio miſcibiliū alteratorū, in generatiōe verò productio ejus, quod ex miſcibilibus unitis reſultet, reſpiciatùr. Sed hoc verum eſt eò tantùm caſu, quando mixtum ex ſimplicioribus unitis immediate reſultans generari dicitur, ut cum ex alimentis cum fermento ventriculi chylifico & hujus parte nobiliore cum ſanguine, fortaſsè & hoc cum ſemine in vaſis ſeminariis permixto primò chylus, deinde ſanguis, tandem ſemen prodit. Quando verò ex eo, quod jam in ſuo genere perfecte mixtum eſt v. g. ex ſemine, animal fit tum talis generatio mixti quidem, non tamen mixtio aut mixtione immediatè intercedende facta dicitur.

X X I I.

Cauſa efficiens ſeu ut Ariſtoteles loquitur agens in generatione propriè & immediatè tangens, id, quod genera-

tur

tur in toto circulo rerum purè naturalium aſſignari nullum poteſt præter calorem ſive cæleſtis ille ſit ſive elementaris? ſive uteri. Adeoq; inſtrumentale ſeu agens *ut quo*. Sed quod nam agens *ut quod?* In primo caſu Sol & reliqua ſidera, in ſecundo elementa calida ignis & aer, præcipuè aër. In tertio homo ſive uterus, ut dictum. Verùm quia in multis generatis perinde eſt quodcunq; dictorum, ſidusne, elementum, an uterus, agentis *ut quod* vices ſuſtineat. Itaq; de generatione in genere loquentes, meritò in agentium non per ſe & purè naturalium ſed vel ex accidenti vel moralium numero talia accenſeri putamus. Agens autem ut quod propriè dictum & per ſe, eſt primus motor cum agentibus naturalibus concurrens, cumq; illis omnia quæ fiunt hodieq; tangens, immediatione non virtutis tantùm ſed & ſuppoſiti (in *ipſo enim vivimus movemur & ſumus*) adeoq; ut cauſa proxima ſed tamen (quod probè notetur) non abſolutè, (proxima enim cauſa abſolutè loquendo non efficiens ſed materia eſt, cui creator potentiam ut hoc vel illud fiat in prima cretione indidit, elementis quidem *Geneſ. 1. v. 2.* mixtis vero *ibid. v. 11. 22. &c.*) Sed in ſuo genere, nimirum in genere efficientium. Ut ita rectè dicatur: quando homo (imò quodvis generativum) generat, DEUS creat.

XXIII.

Unde apparet quàm craſsè decipiantur (parcite hîc authoritatibus Philoſophi, ſi autem diſplicet, quod dico, rationes in contrarium afferte) qui vel potentiam illam materiæ nimis extendunt & pro forma actu jam (ſaltem ut loquuntur entitativo) & extra ſuas cauſas extante habent, vel nobiscum ſentientes, ſubſtantias ab accidentibus derivare, adeoq; cauſam toto genere deteriorem ſuo effectu inducere criminantur; vel deniq; imaginari ſibi non poſ-

 ſun

ſunt, quomodo tam nobilis forma cujusmodi eſt anima humana, imò, ut Helmontius putat, omnium animalium per generationem naturalem (cujus tamen δημιουργὸν ipſum DEUM hodieq; agnoſcere debent) produci poſſit, ſed non niſi ex nihilo creari poſſe autumant.

X X I V.

Primæ & Secundæ Claſſis Doctores confundendo cauſam adæquatam & proximam abſolutè, cum ea quæ ſaltem in ſuo genere & eatenus tantum quatenus effectum immediate tangit proxima eſt, eundem utriusq; effectum tribuunt, aut ſi tribui ipſi non poſſit, veram cauſam eſſe negant, cùm tamen hæc poſterior aliorum etiam ſpecie diverſorum cauſa eſſe poſſit. 2. potentiam materiæ ad formam formæ ipſius nomine ſalutant. Tertiæ claſſis Doctores pro terminis convertibilibus habent, qui convertibiles non ſunt. Etſi enim omne corruptibile generabile eſt, (quicquid contradicat Helmontius,) qui tamen contra omne generabile corruptibile putant, (& ita quidem ut non tantum diſſolvatur ſed forma plane intereat) ii potentiam & libertatem creatoris cancellis ſuæ imaginationis includunt, quaſi non potuerit tâm nobilem indere potentiam ſemini humano, ut aliquid inde generetur quoad formam in corruptibile. Annon enim eadem numero corpora erunt beatorum, imò omnium hominum poſt reſurrectionem aut momentaneam in die extremo mutationem? ubi non amplius erunt corruptibilia.

X X V.

Finis generationis adæquatus & proximus eſt forma rei generatæ, remotus eſt communis conſervatio rerum creatorum (ſi non quoad individua ſaltem quoad ſpeciem) & tandem totius univerſi.

X X V I.

Porrò ex declaratione generationis facile intelligitur

quid ſit corruptio ei oppoſita. Cùm propriè ſit mutatio numero - eadem, quæ corruptio dicitur reſpectu termini â quo & formæ ejusdem, generatio reſpectu termini ad quem Eo ipſo enim dum nova forma in termino ad quem v. g. homine producitur; forma ſeminis aboletur. Hinc axioma Phyſicorum: Corruptio unius eſt generatio alterius. Dicitur autem generatio talis mutatio, quando forma termini ad quem nobilior eſt, ut quando abolitâ formâ ſeminis fit animal, corruptio quando ignobilior, ut quando animal mortuum fit cadaver, pulvis & vermis.

XXVII.

Potiſſima generationis affectio eſt, quod qua talis fiat in inſtanti, nec cum ſucceſſione. Qua talis inquam. quatenus enim ſumitur cum præviis alterationibus omninò cum ſucceſſione conjuncta eſt. Ut nimirum poſt varias alterationes materiæ eousq; progreſſas, ut domicilium formæ quod habuit hactenus, idoneum ſuppeditare nequeat, forma in aliam tranſeat, idq; in omnibus generabilibus & corruptibilibus excepto homine, cujus forma quia extra ordinem rerum ex aliis factarum creata & per inſpirationem corpori humano, aliàs generabili, inſpirata eſt, adeoq; habet quidem aliquid ex quo deinceps per generationem produci, nimirum ſemen humanum, nihil autem in quod tranſire poſſit, niſi forte idem ſemen humanum dicas, quod tamen fieri nequit, quia regreſus non datur; neq; corruptibilis eſt, ſed manet, etiam corrupto corpore, quemadmodum etiam in plantis licet ipſæ formæ intereant, manent tamen qualitates eæ, quibus agens id quod formam deſtruxit, contrarium non fuit. Hoc tantùm diſcrimine, quòd qualitates illæ in materia tanquàm communi ſubjecto maneant, anima autem hominis tanquam perfectiſſima ſubſtantia aliò migrare poſſit. Et hæc de hac materia impræſentiarum ſufficiant.

Ad illuſtrationem ſententiæ meæ de origine, operationibus & immortalitate Animæ Humanæ ſpectantia.

I.

Qui *ſcribere audet*, Dicere me Animam hominis mortalem, *manifeſtè falſum, qui verò ex eo quod organis corporis uti dixerim, ſequi id putat, ἀνακόλουθα profert. Alias omnes ii qui unam tantum animam facultate ſenſitiva & vegetativa (præter rationalem) pollentem ſtatuunt, eodem calculo damnandi eſſent. Quia ſaltem duas haſce organicas eſſe negare non poſſunt.*

II. Etſi non cupio in campum Theologicum deſcendere; quia tamen ſentio premi me abſurdis è foro Theologico petitis; Liceat quaſo mihi profiteri, quæ argumenta mihi (Theologicarum rerum ante hac quod ſine jactantia dictum volo, non prorſus imperito) & conſcientiæ meæ hactenus obſtiterint, quo minus potuerim ſententiæ de creatione hodierna animæ ex nihilo, ſubſcribere. Primum eſt circa peccatum originis, de cujus eſſentia, ſitne pura privatio, an vero poſitivi quid, diſputare nolo. Sufficit ſcire eo non corpus tantum ſed & animam ita eſſe inquinatam ut homo propterea in utero etiam materno ſubjaceat, iræ Divinæ, & niſi à Spiritu Sancto cohibeatur propenſus ſit ad omnia flagitia quæ Paulus commemorat Rom. 1. & 2. *Huic ergo malo & periculo damnationis quod ex multis millies millibus hominum vix unus & alter evadit quomodo obnoxia ſit anima à DEO è nihilo creata, quæque a ſeo nec* in Adamo peccaverit, *nec* in peccatis concepta ſit *qui ſoli duo fontes ſunt peccati originis* Rom. 5. Pſal. 51. *& alibi. fateor me intelligere non poſſe. Et hæc ſine dubio cauſa eſt, cur hæc ſententia tantopere arrideat iis, qui negant peccatum originis proprie eſſe peccatum, nimirum Scholaſticis quos ad-*

eo noſtrates tàm cæco impetu ſequi, non turpe minus quàm periculoſum eſt.

Alterum argumentum, quod quia eos tantùm ferit qui tres animas ſtatuunt in uno homine, ſufficiat verbo tetigiſſe, ſcire ſcilicet velim quomodo ſe â Neſtorianiſmo, imò â purâ puta negatione operationum τȣ̃ λόγȣ *per carnem purgare puten poſſe.*

III. Etſi non defendo ſententiam eorum qui Animæ immortalitatem non niſi ex eo defendi putant poſſe, quòd â DEO conſervetur. Fallaciam tamen â dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter committere puto, qui nudè dicunt mortalem tales ſtatuere animam. Multò verò injuſtius hanc dicam ipſis impingi, quaſi dicerent, conſervari eam â DEO SINGULARI GRATIA. *Si enim DEUS quicquid in hoc negocio præter aut ſupra Naturam facit, ex ſingulari gratia facit; ſequetur etiam quòd mortuos è ſingulari gratia reſuſcitet, adeoq; vel impii etiam & damnati in gratia ſint, vel non niſi pii reſuſcitentur.*

IV. Qui me antiquitati inſultare criminantur, quòd definitionem Thomiſticam eductionis formæ è potentia materiæ quod ſcilicet nihil ſit aliud quàm formam in eſſe, fieri & operari â materiâ dependere, *rejiciam, nec iis (quamvis magnos viros fatear) aſſentiar, qui putant ſi anima operaretur per organa itaq; neceſſario ab iis dependere: ſinceriori Antiquitati ipſi inſultant imò eam opprimunt. Nam 1. Ariſtoteles negat* principia eſſe ex ſe mutuo (*quacunq; dependentia aut ſaltem ordinis ratione quia aliàs de privatione intelligi non poſſet.*) 2. *Ut idem Ariſtoteles nullibi in phyſicis formam, etiam viliſſimi vermiculi â corpore organico, ita nullibi in Metaphyſicis organum ab agente principali (malleum â fabro, Dominum â mancipio) dependere docuit.*

V. Sibiipſi contradicit qui cum ſcripſiſſet, ex eo quòd congenerabilem & organis corporeis utentem ſtatuam animam,

ſequi

ſequi quod mortalem ſtatuam; *paulo poſt requirit â me*, ut dicam quæ cauſa ſit mortalitatis in Anima? Et cujus cauſæ creatæ tanta vis ſit, ut agere in eam eiq; interitum adſcire poſſit? *Innuit enim, (quicquid ſit de origine & operationibus animæ) ſufficere tamen ad ſtatuendam ejus immortalitatem, ſi cauſa nulla è naturalibus quæ ipſi interitùm afferat, allegari poſſit. confer ſi placet* phyſicam meam Ariſtot. l. 2. c. 1. Ax. V. & VI. & reliquis locis ibi citatis.

VI. *Effato huic meo quo dixi: Quicquid ſit forma corporis (eſſentialis ſcilicet non aſſiſtens tantùm) id per corpus operari, diſtinctione inter formam & Naturam occurrere inſcitiæ eſt & imperitiæ in authore cujus videri vult peritiſſimus, videlicet Ariſtotele.* l. 2. Phyſicorum.

VII. *Quærenti ex me* quis vel Muſculus vel Spiritus vel humor concurrat ad τὸ velle, ut organis corporeis perficiatur. *repono ego quis vel muſculus vel ſpiritus vel humor concurrat ad appetitum ſenſitivum?*

VIII. *Quærenti* quomodo Anima â parentibus hodie propagata ejusdem ſpeciei ſit cum initio creata? *repono ego*; *Quomodo animalia hodie genita ejusdem cum creatis ſpeciei ſint?*

IX. *Qui tribuit mihi quòd dixerim* animam in ſemine aliam animam producere, *is mentem meam vel non intelligit vel ſtudio pervertit. vide ſupra theſ. XVII, in fine.*

Ad

Præſtantiſſimum ac Doctiſſimum Dominum

RESPONDENTEM.

VIs carmen? cantemne tuas per carmina laudes?
Crede mihi hæc res non carmine perficitur.
Sed veræ laudes ſunt quas induſtria donat.
Et hac tete ingens laus, mihi crede, manet.

gratulabundus appoſuit
PRÆSES.

Ad Præſtantiſſimum DN. RESPONDENTEM *Amicum colendum.*

USque adeò nihil eſt in quod conſpiret amicè
Unanimi Mundus ſenſu; gemibunda profatur,
ſi dubitas, vel NOSTRA ΦΥΣΙΣ: *quos flector in omnes*
diſtortos ſenſus! meliori ſidere natus
TREWUS *adeſt at! vir quô non præclarior alter,*
nitens, HÆC *priſco quò reſtituatur honori.*
Ille nucem fregit primus, nodosq́; reſolvit
Herculeos, quibus, heu! latuit GENERATIO. *Grati*
propterea Juvenes captate manuq́; animoq́;
hunc dulcem nuclei fructum, convertite quæſo,
nec fabricate moras, in ſuccum & ſanguinem. Honore,
laudeq́; Tu magnâ quoq́; dignus Amice ſuävis,
excolis ingenium doctum dum Lemmata tractas
aurea, quôve modô GENERANDI *fiat hic* ACTUS,
Spiſſus & haut multis notus. Verum omnia talo
ſtant per qàm firmo. Nem DIVÆ PARTICULAM AURÆ
quod, mecum affirmas, MATRESQ́; PATRESQ́; PROPAGENT
Ipſa docet Pallas.

Lmq; ſ.
Paulus Roſenhardt *vocatus*
Glockengieſſer.

MEns, cui gloria calcar addit & laus,
Poſt carecta latere non amabit;
Id quod, *Tu Juvenis*, probas apertè,
(*Quem vis indolis armat invidendæ*)
Dum monſtras *Generationem*, & ejus,
multis, *in teritum* refers, Amice.
Corruptum hoc ſapienter auſpicatum,
Producta *Generatione*, magnum
Ad Cœli genuina templa, nomen
Jamjam, provehet inſolente niſu.

Præſt. & Doct. DN. Reſpond. Amico fideliſſ. adjic. raptim.

I. B. N.

SIc *certaſſe juvat cum doctis,* Σύϛιπ *docte.*
Sic *ratione ingens ſolâ certamen iniſſe,*
Sic ANIMÆ *ſtrictum nodum ſolviſſe macharâ*
Sic *nitidâ*? *tandem applauſu cum* VICTOR *abiſſe*
Sic *juvat. Hinc conſtans* Tibi *fama reſurget* AMICE.

Properanter ex animo tamen DN. CONTUBERNALI AC CONSALINO ſuo, longè dilectiſſimo, hiſce gratulatur

Joh. Leonhardtus Adolphus.

FINIS.